



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. In quibus sit hæc potestas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



& Chrysoftomum. Ioannis 20. datur Petro plena potestas pascendi omnes Christi oves: atqui ad rectè pascendum, necessaria est potestas, qua oves morbida & rebelles à grege separentur. 1. ad Corinthios 5. v. 5. *Iudicavi huiusmodi tradere satana in interitum carnis: quod nihil est aliud, quàm eicere extra Ecclesiam, & permittere diabolo corporaliter vexandum: vide Chrysoftomum, Theodoretum & Theophylactum in illum locum. 2. ad Thessalonicenses 3. v. 14. Si quis non obedit verbo nostro, ne commiscamini cum illo, ut confundatur.* Idem patet ex omnibus Cõcilijs, & perpetuo Ecclesie vsu.

Ratio.

Ratio est; Quia in omni Republica benè constituta est potestas puniendi contumaces, eosque in exilium mittendi & priuandi priuilegijs bonisque communibus Reipublice: ergo etiam in Ecclesia, quæ perfectissime Reipublice formam habet, debet esse hæc potestas quæ extra Ecclesiam, veluti in exilium, rebelles mittantur; & Sacramentis, suffragijsque spiritualibus, tanquam communibus Ecclesie bonis, priuentur. Vnde etiam si potestas excommunicandi sit iure diuino cõcessa; tamen, supposita Ecclesie fundatione, ratio naturalis postulat talem potestatem: vnde veluti naturaliter ipsi Ecclesie competit.

DVBIVM II.

In quibus sit hac potestas.

13 Papa.

**R**espondeo: Primò, In Pontifice, qui est caput vniuersalis Ecclesie. Huic conuenit iure diuino plenitudo huius potestatis, idque in omnia Ecclesie membra.

Concilium Oecumenicum.

Secundò, In Concilio Oecumenico est potestas Excommunicationis in omnes personas Ecclesie totius, præterquam in Pontificem. Ratio est; quia potestas Concilij Oecumenici est infra Pontificem, eique subiecta, oriturque iure gentium ex singulorum Episcoporum coitione & consensu.

Prouincia.

Tertiò, In Synodo Prouinciali est potestas in totam Prouinciam, & in singulos Episcopos illius Prouincie.

Episcopus.

Quartò, In singulis Episcopis est ordinaria excommunicandi potestas in omnes suos subditos. Ratio est, quia quisque Episcopus est suorum subditorum Iudex ordinarius in spiritualibus. Confirmatur: Matthæi 18. *Dic Ecclesie, inquit Dominus, id est, Prælato seu Episcopo, qui Ecclesiam repræsentat; vt passim Patres & Doctores interpretantur.*

Ab vno Episcopo excommunicatus, censetur vbique excommunicatus.

Notandum autem; Eum, qui ab vno Episcopo, vel alio Superiore immediato legitime est excommunicatus, vitandum esse non solum in illa diocesi, sed etiam in tota Ecclesia per vniuersum orbem; vt patet ex Concilio Nicæno can. 5. *Seruetur, inquit, & ista sententia, vt hi, qui ab alijs excommunicantur, ab alijs ad communionem non recipiantur.* Estque consentaneum iuri diuino Matth. 18. v. 16. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* vbi Dominus non limitat hoc ad certum locum, quia loquitur omnibus Fidelibus. Ratio est: quia, etsi multa sint dioceses per orbem, Ecclesia tamen vna est, & conuenit vbique in omnibus ijs, quibus excommunicatus priuatur: ergo, si in vna diocesi sit excommunicatus, censeri debet excommunicatus in omnibus. Aduerte tamen, posse constitui per Pontificem ex plenitu-

dine potestatis, vt is qui est excommunicatus ab Episcopo, tantum vitari debeat in illa diocesi; vt docet Scotus dist. 19. art. 5. Sed id non esset consentaneum naturæ excommunicationis: nam non esset excommunicatio absoluta, sed solum secundum quid.

Prælati Superioriores Ecclesiæ.

Quintò, Hæc potestas est in omnibus Prælati, seu Superioribus Ecclesiasticis qui aliquam habent in foro exteriori iurisdictionem. Hi enim omnes debent habere potestatem coactiuam, quæ potissimum consistit in excommunicatione.

14 Parochi non possunt excommunicare.

Parochi, etsi olim potuerint excommunicare in quibusdam casibus, vt in furto & rapina, vt patet ex D. Thoma hoc loco quaest. 22. art. 1. nunc tamen non possunt: quia ista consuetudo iam passim est abolita; idque merito, cum non habeat cognitionem in causis fori exterioris. Si tamen alicubi habeant hanc consuetudinem legitime vsu captam, poterunt excommunicare.

Nec laicus, nec mulier.

Laicus & Mulier nõ possunt excommunicare. Fortè tamen possent illis ex plenitudine potestatis Pontificie committi, quamuis hæctenus non extet exemplum.

DVBIVM III.

Utrum aliquis seipsum possit excommunicare?

15 Nec seipsum, nec pariter potest excommunicare.

**R**espondeo: Nemo potest seipsum, nec pariter excommunicare siue per sententiã, siue per statutum. Neque potest quisquam inferiori, aut pari se subijcere, vt ab illo excommunicetur, nisi ipse officium deponat. Ratio est: Quia excommunicatio est actus iurisdictionis coactiuæ, quæ nisi in subditum exeri non potest. Cuius vltior ratio est, quia nemo seipsum potest cogere, cum coactio sit contra voluntatem, ac proinde necessariò ab extrinseco debeat provenire. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 1. num. 8. & 9. Hinc etiam fit, vt inferiori vel pari subijcere se non possit ad hunc effectum: quia sicut non habet in seipsum potestatem coactiuam, ita nec alteri eam dare potest, nisi officio deposito. Alia est ratio eius, qui subijcit se inferiori, vt absoluat à peccatis; quia non dat ei iurisdictionem actiuam, qua ille absoluit, sed solum se illi applicat materiam habenti iurisdictionem actiuam à Christo.

Cur quis se possit subijcere inferiori, vt absoluitur, non vt excommunicetur.

DVBIVM IV.

Utrum excommunicatus possit excommunicare?

16 Toleratus valide excommunicat alium.

**R**espondeo: Si est toleratus, id est, si non est denunciatus, aut notorius Clerici percussor, valide excommunicat. Idem dicendum de eo, qui est suspensus ab officio, vel interdictus. Tenet Couar. in cap. Alma 1. par. §. 11. num. 4. Sotus dist. 22. q. 2. art. 1. Nauarrus cap. 22. num. 7. & 8. & alij multi. Ratio est: quia quamdiu Ecclesia illum tolerat, non censetur illum priuare iurisdictione; vnde ratam vult eius haberi sententiam; idque ob multa incommoda, quæ alioqui nascerentur. Verum tamen est, posse quem excipere contra talem sententiam, quæ exceptio illi proderit.

An talis excommunicatus peccet, commune.

Vtrum autè talis peccet exercendo iurisdictionem, dubium est. Nauarrus, Couarruias, & quidam alij insinuant nõ peccare: nam ob bonum commune